


JOANNIS AGRICOLAE ISLEBIENSIS

APOPHTHEGMATA

NONNULLA

NUNC PRIMUM EDIDIT

DR. LUDOVICUS DAAE


HISTORIARUM IN UNIVERSITATE CHRISTIANIENSI PROFESSOR ORDINARIUS.

PROGRAMMA ACADEMICUM, QUO INCLYTAE UNIVERSITATI HEIDELBERGENSI INTER SAECULARIA SOLLEMNIA GRATULATUR UNIV. REG. FRIDERICIANA CHRISTIANIENSIS.

CHRISTIANIAE.

MDCCCLXXXVI.

TYPIS EXCUDEBAT J. CHR. GUNDERSEN.


HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library

JOANNIS AGRICOLAE ISLEBIENSIS

APOPHTHEGMATA

NONNULLA


NUNC PRIMUM EDIDIT

DR. LUDOVICUS DAAE

HISTORIARUM IN UNIVERSITATE CHRISTIANIENSI PROFESSOR ORDINARIUS.

* * *

PROGRAMMA ACADEMICUM, QUO INCLYTAE UNIVERSITATI HEIDELBERGENSI INTER SAECULARIA SOLLEMNIA GRATULATUR UNIV. REG. FRIDERICIANA CHRISTIANIENSIS.



CHRISTIANIAE.

MDCCCLXXXVI.

TYPIS EXCUDEBAT J. CHR. GUNDERSEN.

QUOD FELIX FAUSTUMQUE ESSE JUBEAT

D. O. M.

UNIVERSITATEM LITERARIAM RUPERTO-CAROLAM HEIDELBERGENSEM

INTER GERMANIAE INTER ORBIS ACADEMIAS

AETATE AUGUSTAM

POST QUINQUE SAECULA GLORIOSE EXACTA

NOVA SAECULA FELICIA SPERANTEM

UNIVERSITAS REGIA FRIDERICIANA CHRISTIANIENSIS

INTER AUSPICATISSIMA SOLLEMNIA

POSTRIDIE KAL. SEXT. CELEBRANDA

EX PII ANIMI SENTENTIA

GRATULABUNDA SALUTAT.

FR. BRANDT,
SENATUS ACADEMICI PRAESES.
DEC. FAC. JUR.

GISLE JOHNSON,
DEC. FAC. THEOL.

E. WINGE,
DEC. FAC. MED.

GUSTAV STORM,
DEC. FAC. PHILOS.

C. M. GULDBERG,
DEC. FAC. MATH.

PRAEFATIO.

Ludovicus Daae
lectori benevolo
S.

I.

Est haec programmatum scriptoribus quasi consuetudo, ut excusent temporis angustias. Quam autem ad benevolentiae captationem mihi forsitan, si cuiquam, jure confugere licuerit, quippe cui ad hocce opusculum conficiendum ne dimidii quidem mensis spatium concessum fuerit. Postridie enim Idus Junias vir clarissimus Fridericus Brandt, jurisconsultus, hoc anno rectoris apud nos munere fungens et mox nomine Universitatis Heidelbergam profecturus, a me petiit, ut adornarem ejusmodi tabellam, quam vulgo vocant votivam, sincerum amorem animumque gratissimum testificaturam, quo et nostra academia, remota licet et non aetate tantum inferior, inclytam Ruperto-Carolam prosequitur sororem. Cui quum rogationi praestantissimi collegae libenter adnuerem, cupii tamen optimis Universitatis nostrae votis literarium etiam qualecunque munusculum adjicere. Sed opus fuit maturato. Statueram enim, ut hoc ipso jam mense peregre proficiscerer.

Sed priusquam ad reliquias nonnullas Joannis Agricolae, quas ut ederem decrevi, describendas transiero, liceat mihi, id quod a sollemni occasione non alienum videbitur, de popularibus nostris, qui olim Heidelbergae studiorum caussa versati sunt, paucis verbis disserere.

Quo tempore Heidelbergensis nata est universitas, eo nostris regnis cum meridionali Germania rara omnino erant commercia. Desierant jam dudum piae per hasce regiones nostratium peregrinationes, quorum memoriam adhuc servat index nominibus Scandinavorum etiam virorum refertissimus, qui monasterium in Augia Divite positum olim visitavere [1]), cessaverant cruciatae expeditiones, elanguerat denique illa ad longa itinera propensitas gentium nostrarum inde a magnis populorum migrationibus propria. Romam solum clerici beneficia apud curiam petere coacti nonnumquam adhuc adibant. Studiosi nostrates in Parisiensem potissimum universitatem, deinde etiam in Pragensem vel in Oxfordensem sese conferre solebant [2]). Lipsiam quoque atque Coloniam [3]) et Lovanium interdum visitabant nostrates,

[1]) Anzeiger für Kunde des deutschen Mittelalters, IV. p. 97 sqq., Antiqvarisk Tidsskrift (Haun. 1845) p. 73 sqq.

[2]) Afferre libet verba canonici cujusdam Lincopensis, Parisiis a. 1414 versantis: Major est gloria urbis, quam rumor: immo Pragae, cujus famam putavi prius inaestimabilem, poni ad collationem cum Parisiis non meretur. (E. Benzelii Monum. Historica vetera eccl. Sviogoth. Upsala 1709, 4 p. 162). Nomina studiosorum e Dania, Svecia, Norvegia, qui Pragae, Erfordiae et Rostochii studiis vacavere, in collectione leguntur, quam ipse edidi (Matrikler over nordiske Studerende ved fremmede Universiteter. fasc. 1).

[3]) Lipsienses e Dania et Norvegia studiosi in collectione locupletissima Danica: Nye kirkehistoriske Samlinger (II, p. 512 sqq.), Colonienses (seculo XVI) ex tribus regnis nostris in Norvegica collectione: Historisk Tidsskrift III p. 481—491 enumerantur.

Ludovicus Daae
lectori benevolo
S.

I.

Est haec programmatum scriptoribus quasi consuetudo, ut excusent temporis angustias. Quam autem ad benevolentiae captationem mihi forsitan, si cuiquam, jure confugere licuerit, quippe cui ad hocce opusculum conficiendum ne dimidii quidem mensis spatium concessum fuerit. Postridie enim Idus Junias vir clarissimus Fridericus Brandt, jurisconsultus, hoc anno rectoris apud nos munere fungens et mox nomine Universitatis Heidelbergam profecturus, a me petiit, ut adornarem ejusmodi tabellam, quam vulgo vocant votivam, sincerum amorem animumque gratissimum testificaturam, quo et nostra academia, remota licet et non aetate tantum inferior, inclytam Ruperto-Carolam prosequitur sororem. Cui quum rogationi praestantissimi collegae libenter adnuerem, cupii tamen optimis Universitatis nostrae votis literarium etiam qualecunque munusculum adjicere. Sed opus fuit maturato. Statueram enim, ut hoc ipso jam mense peregre proficiscerer.

Sed priusquam ad reliquias nonnullas Joannis Agricolae, quas ut ederem decrevi, describendas transiero, liceat mihi, id quod a sollemni occasione non alienum videbitur, de popularibus nostris, qui olim Heidelbergae studiorum caussa versati sunt, paucis verbis disserere.

Quo tempore Heidelbergensis nata est universitas, eo nostris regnis cum meridionali Germania rara omnino erant commercia. Desierant jam dudum piae per hasce regiones nostratium peregrinationes, quorum memoriam adhuc servat index nominibus Scandinavorum etiam virorum refertissimus, qui monasterium in Augia Divite positum olim visitavere [1]), cessaverant cruciatae expeditiones, elanguerat denique illa ad longa itinera propensitas gentium nostrarum inde a magnis populorum migrationibus propria. Romam solum clerici beneficia apud curiam petere coacti nonnumquam adhuc adibant. Studiosi nostrates in Parisiensem potissimum universitatem, deinde etiam in Pragensem vel in Oxfordensem sese conferre solebant [2]). Lipsiam quoque atque Coloniam [3]) et Lovanium interdum visitabant nostrates,

---

[1]) Anzeiger für Kunde des deutschen Mittelalters, IV. p. 97 sqq., Antiqvarisk Tidsskrift (Haun. 1845) p. 73 sqq.

[2]) Afferre libet verba canonici cujusdam Lincopensis, Parisiis a. 1414 versantis: Major est gloria urbis, quam rumor: immo Pragae, cujus famam putavi prius inaestimabilem, poni ad collationem cum Parisiis non meretur. (E. Benzelii Monum. Historica vetera eccl. Sviogoth. Upsala 1709, 4 p. 162). Nomina studiosorum e Dania, Svecia, Norvegia, qui Pragae, Erfordiae et Rostochii studiis vacavere, in collectione leguntur, quam ipse edidi (Matrikler over nordiske Studerende ved fremmede Universiteter. fasc. 1).

[3]) Lipsienses e Dania et Norvegia studiosi in collectione locupletissima Danica: Nye kirkehistoriske Samlinger (II, p. 512 sqq.), Colonienses (seculo XVI) ex tribus regnis nostris in Norvegica collectione: Historisk Tidsskrift III p. 481—491 enumerantur.

Rostochium et Gryphiswaldiam frequentes etiam celebrabant, Heidelbergae autem raro, Tubingae numquam, ut videtur, commorabantur. Erat sane regalis nostra domus proxima cognatione cum illustri Palatinorum familia conjuncta. Duxerat enim (a. 1407) Johannes, Ruperti imperatoris filius aetate minor, in matrimonium Catharinam, Erici regis sororem, eandemque Christophori regis, qui avunculo postea successit, matrem [1]), quibus tamen nuptiis non factum est, ut ipsi populi inter se propius accesserint. Neque vero plus magna illa concilia, quae iisdem fere temporibus in urbibus apud Rhenum sitis celebrabantur, contulisse videntur, ut illas regiones frequentius viserent nostrates.

Unicum tamen inter professores Heidelbergenses horum temporum invenimus virum Danum, Joannem Petrum Malmogiensem, qui quum magister a. 1453 Heidelbergam venisset, a. 1455 in facultatem artistarum, quos tum vocabant, receptus per, novem annos ibidem docuit et a. 1464 in vigilia S. Johannis baptistae decanus facultatis creatus est, quo tamen munere fungens jam die XV. Kal. Sept. mortuus est. Complures sub eo determinaverunt artium magistri [2]).

Quum igitur saeculo XV perpaucos ex nostris terris studiosos Heidelbergensis matricula habeat, per majorem saeculi XVI partem ibidem nullos invenimus populares. Erat etiam per haud brevem annorum seriem Palatinis cum nostris regnis si non apertum bellum, ita tamen graves inimicitiae. Fridericus enim II, Palatinus comes ac denique elector, quum secum matrimonio Dorotheam, Christierni secundi regis filiam, Caroli vero imperatoris neptem junxisset, operam diu navavit, ut regnorum soceri potiretur.

Sexto autem decimo saeculo ad finem vergente florentissimam tum temporis academiam Dani jam saepius, Norvegi Suecique nonnumquam adibant, inter quos tamen apparet permultos fuisse adolescentes vel etiam pueros nobiles minus interdum litterarum studiis deditos quam amoenissimi loci deliciis indulgentes [3]). Effecit sane religionis diversitas, ut theologi nostrates universitatibus, quae Calvinianae erant confessionis, Lutheranas praeferrent, quum praesertim, remoto ab Hauniensi cathedra (1579) Nicolao Hemmingio, in eos, qui Calvinianis doctrinis favebant, Dani severius nonnumquam consulerent. Sed, etsi jam Geneva et Basilea, quas antea freqventaverant, abstinebant Dani, Heidelbergam tamen adhuc veniebant Dani theologi, et annis praesertim 1610—1620 haud raro accidisse videtur, ut ibidem etiam tirones cornua deponerent [4]).

De anno funestissimo 1622 non multis verbis mihi opus est. Thesauri, quibus gaudebat Heidelberga, dissipati sunt, bibliotheca magnificentissima Palatina Romam abducta est, elanguescens denique universitas, inde ab anno 1630 usque ad annum 1652 plane desolata. Septemtrionalium etiam regnorum historici harum tempestatum recordantur. Latuere tum Heidelbergae duo tabularia, historiae nostrae pernecessaria, Christiani scilicet secundi regis et Olai, qui archiepiscopus Nidrosiensis ultimus in exilio Belgico mortuus est a. 1538. Hisce enim archivis Fridericus II Palatinus elector superiori saeculo potitus erat. Inter bellicos, quos attigi, tumultus, in Bavariam archiva illa migravere, unde ante

---

1) Quo de matrimonio quaedam antea scripsi (Norsk hist. Tidskr. ser. 2, II p. 232).

2) Vide opus Gustavi Toepke, quod infra citabitur, (II, pag. 395—401).

3) Multi etiam, qui in albo Universitatis nobiles non diserte vocantur, tamen ejusdem erant ordinis sc. Dresselberg, Rosencrantz, Brockenhuus, Schram, Quitzow, Paslich, Lindenov, Sparre, Friis, Ulfeld, Marsvin, Gyldenstjerna, Juul, Rud, Munk, Holch, Sehested, Bildt, Bielke, cett.

4) Cfr. accuratissimum opus Holgeri Rördam, viri in ecclesiae doctorumque virorum historia apud Danos Norvagosque facile principis: Kjøbenhavns Universitets Historie II. p. 293. III. p. 439.

quinquaginta fere annos tandem in nostras terras, maximam partem in Norvegiam, summo cum historiae emolumento redierunt [1]).

Restituta deinde per Carolum Ludovicum electorem universitate, denuo venerunt etiam e Septemtrione juvenes, jam vero inprimis Suecani nobiles. Novae universitati Carolinae, a. 1668 Londini Scanorum conditae, praecipuum decus addidit professor celeberrimus Heidelberga in Sueciam vocatus, Samuel Pufendorfius. Sed de posteriori tempore non multa habeo, quae dicam. Afferre tamen libet illustre nomen Christiani Lassenii Norvegi, qui relicta, quam tamen semper adamavit, patriae universitate, Heidelbergam sese contulit a. 1819. Ipsi mihi, bibliothecam Lassenii, nostrae universitati donatam, ut acciperem, a. 1870 Bonnam profecto, contigit, ut celeberrimum audirem senem de laetissimo tempore, quod Heidelbergae florente juventa peregerat, jucunde ac memoriter narrantem. Addam etiam Henricum Kroyerum, zoologum Danum, e bello Graecorum contra Turcas reducem, annis 1822—1823 Heidelbergae versatum esse, quo auctore extat civium academicorum vitae, qualis tum erat, descriptio haud inficeta [2]).

Denique eorum, qui nostris e regnis Heidelbergam studiorum caussa venerunt, nomina enumerabo ex accuratissima matriculae editione, quam ante duos annos curavit Gustavus Toepke [3]), excerpta et a me passim nota una et altera illustrata.

1409. Ulricus de Datia cler. Rypensis dioc. (bacc. art. 4 Jul. 1411).
1418. Petrus Absalonis de Herdliff, Lundensis dioc. [4]).
— Nicolaus Johannis de Falstria, prespiter Otoniensis dioc.
1442. Johannes Krabe can. eccl. Nidrosiensis de regno Norvegie [5]).
1453. Joannes Petri de Dacia, magister Parisiensis, cler. Lundensis dioc. Receptus ad facultatem artium ut magister 29 Aug. 1455.
— Johannes Prüchmann de Dacia. (Brochmann, bacc. art. 23 Mai 1455).
1458, 16 Jan. Fr. Johannes Jacobi ord. praedicatorum de Dacia.

---

[1]) De archivorum illorum fatis vide: Breve og Aktstykker til Oplysning af Christiern den Andens og Frederik den Førstes Historie, udgivne af C. F. Allen I. praef. p. XXIII. Cfr. Nyt historisk Tidsskrift V. p. 642 sqq. Tota archiepiscopi Nidrosiensis Palatino cessit hereditas, vide: Forhandlinger i Videnskabsselskabet i Christiania 1860 p. 1—10, cfr. etiam Over-Ysselsche Almanak voor oudheit en letteren 1850. Dipl. Norv. vol. V.

[2]) Erindringer af Henrik Krøyers Liv, Kjøbenhavn 1870 p. 165—193.

[3]) Die Matrikel der Universität Heidelberg von 1386 bis 1662, bearbeitet und herausgegeben von Gustav Toepke. Heidelberg 1884. 8.

[4]) Filius ille fuit domini Axelii (quod nomen Latine vulgo Absalon audit) Petri de Herthaloff in Scania (ex Thottiorum illustri prosapia), qui et ipse hoc tempore maxime inclaruit, et pater fuit filiorum, postea et in Dania et in Svecia longe potentissimorum. Petrus noster Absalonis anno 1460 episcopus Ottoniensis electus Romam, confirmationem papalem ut peteret, profectus est; sed aemulo, cui et rex et curia Romana favebant, cedere cogebatur et tribus annis post Lundae Scanorum praepositus capituli mortuus est. Vide dissertationem de Eggerto Frillio equite, a doctissimo Guilielmo Mollerup conscriptam. (Dansk hist. Tidsskrift, ser. 5, V, p. 29).

[5]) »Joannes Stephani alias Krabbe can. eccl. Nidr. et publicus imperiali auctoritate notarius» a. 1436 provinciali concilio Asloiae celebrato interfuit (Dipl. Norv. III. p. 473, IV. p. 340). Insequenti anno ad concilium Basiliense una cum Adolpho, canonico Asloensi ac postea episcopo Stavangriensi, ecclesiae Norvegicae nomine missus est. Ad episcopalem cathedram Scalholtinam (in Islandia) denique a. 1464 promotus, a. 1465 diem clausit supremum. (Pontoppidani Ann. eccl. Dan. II. p. 552, Finni Johannaei Hist. eccl. Islandiae II, p. 483. Espolin Árbaekr Islands II. p. 60). Natione haud dubie Danus et quidem nobilis erat. Hujus fortasse nepos erat alius ejusdem nominis Nidrosiensis canonicus, qui a. 1510 archiepiscopus Nidrosiensis a fratribus creatus, sed et a rege et a curia Romana repulsus, praepositi postea apud Tromsøenses in Nordlandiis munere fungebatur. (Norske Rigsregistranter, I. p. 17).

1475, 3 Dec. Petrus de Dacia vel Subtilis proprie nuncupatus, arcium magister Parisiensis, medicinarum doctor, ut ipse dicebat.

1565, 27 Jun. Petrus Petri Othoniensis Danus.

1570, 2 Jan. Andreas Dresselberg } fratres Dani.

— — Wilhelmus Dresselberg }

1572, 23 Jul. Desiderius Joannis Faucius Danus.

— 30 Jul. Jacobus Matthiades [1]) Arhusiensis Cimber.

— 2 Aug. Joannes Lang Arhusiensis.

— 22 Sept. Joannes a Barbi Danus nobilis.

— 14 Febr. Johannes Rhud } nobiles Dani fratres.

— — Canutus Rhud }

— — Isaacus Mauritius Danus.

1573, 28 Sept. Andreas Lymuicus Cimber [2]).

1580, 4 Jan. Ericus Bielke nobilis Suecus.

— — Sigfridus Benedicti Viborgensis [3]).

1581, 20 Febr. Otto Rosenkrantz Danus.

— — Nicolaus Fridagius Hadelensis praeceptor eius.

— 1 Mart. Magnus Clemens Suecus.

1582, 20 Sept. Joannes Munch } fratres nobiles Dani, injurati propter aetatem.

— — Fridericus Munch }

— 22 Sept. Simon Nicolaus Hallenius Norvegianus. (26 Nov. 1583 bacc. art.).

— 12 Nov. Canutus Bolge, nobilis Suecus.

1583, 16 Mart. Ericus Georgius Suecus.

1584, 21 Nov. Laurentius Francisci Norvegianus [4]).

1585, 15 Mart. Georgius Christophorus Vibergius Danus.

— 20 Apr. Jacobus Andreae Ottoniensis Danus.

— 28 Jul. Jacobus Biorn de Steinholt Danus nobilis.

— — Petrus Sturmius Arhusiensis Danus.

1586, 26 Jul. Franciscus Brochenhus } fratres } Dani, injurati propter aetatem.

— — Georgius Brochenhus }

— — Magnus Schram }

— 28 Sept. Constantinus Balthazarus Danus.

1587. 28 Apr. Hilarius Quitzou Danus.

— 15 Aug. Fridericus Paselius } fratres Dani.

— — Nicolaus Paselius }

1588, 2 Nov. Georgius Hammerus Hafniensis Danus.

---

[1]) Theologiae professor Hauniensis † 1586.

[2]) Professor medicinae Hauniensis † 1603.

[3]) Desideramus in albo Philippum Suindern, qui stipendio regis Daniae, ut juris studium excoleret, instructus 1579 Heidelbergae mortuus est. (Schumacher, Gel. Männer Briefe an die Könige v. Dänemark III, p. 169).

[4]) Idem fortasse, qui paucis annis post in parochia Nannestadiana, Asloensis dioc., fuit plebanus, de quo vide: Biskop Jens Nilssøns Visitatsbøger, (opus a doctiss. Yngvaro Nielsen editum, Christianiae 1884) passim.

1592,	31 Mart.	Matthias Jacobus Ripensis Cimber Danus.
—	13 Apr.	Johannes Lindenow Danus } fratres.
	—	Ottho Lindenow Danus } fratres.
—	—	Villeadus Adamius Danus [1]).
—	1 Jun.	Martinus Petreus Hegelius Danus.
—	—	Andreas Erasmus Bondeus Arhusiensis Danus.
—	23 Sept,	Andreas Abrahamus Hauniensis Danus.
1593,	27 Jan.	Johannes Mulenus Fionensis Danus [2]).
—	13 Jun.	Ivarus Frisius Danus Cimbricus.
—	2 Oct.	Johannes Demarnay Succus [3]).
1594,	1 Apr.	Otto Bannerus nobilis Danus.
—	22 Sept.	Johannes Brahe nobilis Danus.
—	—	Johannes Hall Danus.
1595,	21 Febr.	Jonas Erasmus Carisius Danus.
—	1 Mai.	M. Conradus Aslacus Bergensis Danus [4]).
—	·	Joannes Spare Danus.
—	—	Otto Brahe Danus.
—	3 Jun.	Nicolaus Poselick Danus juramentum sub rectoratu doctoris Johnii praestitum renovavit gratis.
1598,	Nov.	Laximanus Gyldensternius Danus.
—	—	Christophorus Ulfeldius Danus.
—	—	Nicolaus Sinningius Danus.
1599,	2 Jan.	Aelius Brae nob. Danus } stipulatione recepti.
—	—	Christophorus Ivarius Danus } stipulatione recepti.
—	6 Jan.	Johannes Julius Danus [5]) filius Hermanni Julii proregis Gotlandiae.
—	—	Bartholomaeus Johannes Danus.
—	23 Oct.	Christianus Erixen siue Ericius Dacus.
1600,	2 Jan.	Tago Tot nobilis Danus.
—	—	Nicolaus Backendorff Danus (a. 1603 27 Mai inscriptionem repetivit.)
1603,	13 Apr.	Lucas Johannis Paludanus Viburgensis Danus.
—	15 Apr.	M. Duncanus Burnetus Danus.
1605,	4 Jun.	Wolfgangnus (!) Rumannus Danus Coldingensis [6]).

---

[1]) Bergis in Norvegia medici munere fungens mortuus est a. 1616.

[2]) Dr. med., Othiniae mortuus a. 1633.

[3]) Desiderantur in matricula Jacobus Ulfeld, Albertus Skeel, nobiles Dani, praeceptorque eorundem, Joannes Janus Alandus, postea in universitate Hauniensi professor philosophiae, quos constat a. 1593 Heidelbergae studiorum caussa commoratos esse. (H. Rørdam, Kjøbenhavns Universitets Historie II, p. 611).

[4]) Conradus Aslacus (natione non Danus, sed Norvegus), postea inter theologiae in Hauniensi universitate professores multis locis memorabilis, praeceptor erat nobilium illorum juvenum Joannis Sparre atque Ottonis Brahe. Heidelbergae librum scribere incepit, quem multis annis post edidit (de dicendi et disserendi ratione, Herbornae Nassov. 1622). Vide opus Roerdamii, supra nominatum, II, p. 591–592.

[5]) Postea (a. 1618—1629) prorex Norvegiae.

[6]) Dialectices postea professor Hauniensis † 1637.

1605,	4 Jun.	Johannes Petraeus Tikouiensis Danus (22 Apr. 1606 in Collegium Casimiranum receptus.)	
1606,	28 Apr.	Severinus Andreas Velleius Cimber [1]).	
—	5 Oct.	Joannes Christiernus Polingus Danus.	
1607,	26 Sept.	Fridericus Knof Danus.	
—	—	Joannes Knof Danus.	
1608,	1 Nov.	Claudius Plumius Danus [2]).	
—	—	Henricus Albertus Hafnia-Danus.	
1609,	8 Apr.	Nicolaus Frisius nobilis Danus.	
—	13 Apr.	Christianus Julius nobilis Danus.	
—	—	Christophorus Frisius nobilis Danus (frater Nicolai).	
—	6 Mai.	Olaus Jacobaeus Danus.	
—	28 Sept.	Fridericus Severinus Haffniensis Danus.	
1610,	11 Apr.	Ivarus Stubbaeus Danus, magister [3]).	
—	Mai.	Georgius Kilianus Ripensis Danus.	
—	Sept.	Nicolaus Fossius	Dani.
—	—	Olaus Vibergius	
—	Nov.	Burckardus Rhudt	Dani.
—	—	Vincentius Steno	
—	—	Joannes Birchiltus	
—	—	Burchardus Joannes	
—	Dec.	Petrus Johannis Ripensis Danus.	
—	—	Paulus Bagger Danus.	
1611,	29 Sept.	Johannes Andreae Tausanus Danus Ripensis.	
—	15 Nov.	Petrus Sturaeus Hugomaeus Danus.	
—	—	Laurentius Severinus Grenovius Danus.	
—	—	Fridricus Andreas Klynus Ripensis Danus.	
—	—	Georgius Munck de Kroxgard Danus.	
—	—	Ivarus Munck de Kroxgard Danus.	
—	—	Magnus Kaass de Fröstrup Danus.	
—	—	Ericus Kaas de Birkels Danus.	
—	21 Nov.	Nicolaus Friese Danus nobilis.	
—	19 Dec.	Johannes Nicolai Fontejo Danus.	
1612,	2 Mart.	Johannes Dionitzi Danus.	
1614,	30 Mai,	Georgius Jacobi Danus.	
—	—	Casparus Ericus Norvegianus.	
—	—	Matthias Ipsonius Danus.	
1615,	8 Aug.	Axilius Julius Danus.	
—	—	Henricus Halchius Danus.	

[1]) Celeberrimi historiographi regii Andreae Velleji filius ipse haud incelebris, cujus de fatis vide C. F. Wegener: Om Anders Sørensen Vedel (ed. 2) p. 261, Danske Magazin, ser. 3, I, p. 14, Ny kirkehist. Samll. VI, p. 392 sqq.

[2]) Professor jur. Hauniensis, a. 1649 mortuus.

[3]) Hic professor Hebraeae linguae Hauniensis a. 1609 munere privatus, a. 1611 mortuus est.

1615,	8 Aug.	Hilarius Halchius Danus [1]).
1616,	3 Febr.	Mattheus a Jull Danus.
—	29 Mai.	Ericus Rosencrantzius, nobilis Danus.
—	—	Paulus Andreas Hafnia-Danus (magister).
—	16 Oct.	Johannes Barnekow Danus.
1618,	8 Mai.	Johannes Boeckerus a Delden Danus.
—	3 Jun.	Magnus Julius Danus.
—	—	Andreas Claudius Danus [2]).
1620,	15 Jun.	Magnus ab Arnfelt, nobilis Danus, injuratus.
—	—	Ludovicus Michael, ejusdem ephorus.
1652,	28 Dec.	Canutus filius Sigvardi Uine, nobilis Danus.
—	—	Christianus Forsius Danus [3]).
—	31 Dec.	Jacobus Casparsonius Danus. Obiit diem suum Heidelbergae.
1653,	3 Oct.	Johannes Funck Holmensis, nobilis Svecus.
1655,	27 Dec.	Georgius Scheel, Danus.
—	—	Albertus Scheel Danus.
—	—	Otto Skeel, nobilis Danus.
—	—	Nicolaus Hydropolitanus Danus [4]).
1656,	14 Apr.	Nicolaus Taube, nobilis Danus.
—	—	Henricus Johannis Holst Danus.
—	16 Apr.	Georgius Johannis Burchardius Danus.
—	—	Johannis Petri Buskagrius Svecus.
—	26 Apr.	Boetius Rosenstern Svecus.
—	—	Nicolaus Sundius (Hundius?) Svecus.
—	Jun.	Olaus Rosenstierna, Svecus.
—	—	Israel Sparman, Svecus.
—	10 Oct.	Nicolaus Natt och dagh, Svecus.
—	—	Daniel Planander, Svecus.
1657,	16 Apr.	Proebernus Wandalinus, Danus, stud. theol. [5]).
—	—	Petrus Johannis Frisius, theol. stud. Danus.
1658,	24 Jun.	Burgerus Trolle [6]) } Dani,
—	—	Olgerus Trolle } Dani,
—	—	Herolovius Trolle } Dani,
—	—	Severinus Matthias Danus.
—	18 Oct.	Uldricus Seefeld } Dani.
—	—	Johannes Helverschou } Dani.

---

[1]) i. e. Holch, (familia nobilis).
[2]) Fortasse idem, qui a. 1652 rector scholae Nidrosiensis mortuus est.
[3]) Wormii Lex. I. p. 315.
[4]) Wormii Lex. I, p. 483—484.
[5]) Pastor et praepositus Cruci-soranus in Dania mortuus est 1699.
[6]) Nobilis familiae Trollorum arma in albo elegantissime depicta sunt.

1658,	14 Nov.	Canutus Thot nobilis Schanus [1].
—	—	Georgius Togh (Foght?) Danus.
1659,	18 Oct.	Matthias Wenbärgh Svecus.
—	—	Nicolaus Tunundre Svecus.
1660,	5 Jan.	Petrus Matthison Danus.
—	13 Dec.	Magnus Marsveyn Danus.
1661,	20 Jun.	Claudius Sehestedt Danus.
—	—	Christophorus Ulfeld Danus,
—	30 Jul.	Johannes Ramel nobilis Danus.
—	17 Oct.	Wilhelm Julius Coyet Svecus.
—	—	Peter Trotzig Svecus.
—	—	Martin Trotzig Svecus.
1662,	28 Sept.	Benedictus von der Kula Danus.
—	14 Oct.	Petrus Windingius, Joannis fiilius, Danus [2]).
—	22 Dec.	Christian Bilde.
—	—	Jørgen Bilde.
1663.		Nicolaus Bielke.
—		Andreas Nicolai.
1664,		E. Gabriel Turonis } Oxenstierus (!).
—		E. Turo Turonis } Oxenstierus (!).
—		Samuel Monsson Svecus.
—		Gabriel Ehpenstieren (!) Gabrielis, comes de Croneborg, liber baro de Rimithois.
—		Claudius Ardfeinstein Ost-Gothus.
1665.		Gustafus Adolphus Oxensterna, comes de Korshelm et Vasa.
1666.		Gustavus Wüldenstern (!) liber baro fon Schereden (!)
—		Carolus Wüldenstern liber baro ibidem.
—		Jacobus Skytte liber baro in Duderhof auss Schweden.
—		Gustauus Horn } barones Sueci.
—		Carolus Horn } barones Sueci.
—		Ericus Tect Svecus nobilis.
—		Johannes Rudbeck Suecus.
—		Daniel Tilasius Suecus.
1667.		Hannibal Paulinus Norvegois (!).

[1]) Scania eodem anno Svecis concessa, Thottius Danus non jam potuit, Svecus sane noluit haberi.
[2]) Wormii Lexicon II, p. 564.

II.

Reputanti porro mihi, quomodo meis opibus donum compararem, tam sollemni occasione haud plane indignum, visum est, ut programmatis loco ederem symbolam quandam ad historiam reformationis Germaniaè pertinentem eandemque doctis viris hucusque incognitam, quam ut deprehenderem, mihi ante aliquot annos felici casu contigerat.

Accidit enim a. 1877, ut in bibliotheca nostra academica, cui ipse olim praefui, varias sacrae scripturae editiones perlustrans, exemplar quoddam Lutheranae versionis invenirem, adnotationibus refertum, partim Latina, partim Germanica lingva conscriptis, quae animum meum vehementer attenderent, necesse erat. Extemplo enim vidi hasce adnotationes e calamo scriptoris cujusdam fluxisse, non solum Luthero aequalis, sed qui etiam cum augustissimo viro versatus ipse fuisset, et brevi intellexi, adnotatorem fuisse Joannem Agricolam Islebiensem, virum tempore reformationis notissimum. Nam et nomen in libro scriptum est, et omnia, quae de se ipse adnotator narravit, ea cum Agricolae historia atque vita prorsus conveniunt. Mirabar scilicet, quod in Norvegiam venerat hicce liber Agricolanus, sed fata ejusdem nondum persequi valui et ne indagare quidem licuit, quo donante bibliotheca librum accepisset. Hoc tantum constat, apud nos librum ita prorsus delituisse, ut ne unus quidem aut historicus aut theologus, eorum qui tum quidem viverent, umquam adnotationes Agricolae observasset.

Brevi post (pridie Non. Apr. 1879) in societatem scientiarum nostra biblia Agricolae attuli et de adnotationibus iis, quae historici argumenti sunt, breviter locutus sum [1]), sed easdem in lucem edere de anno in annum distuli non sine justa mei, id quod confiteor, amicorum quorundam reprehensione. Mihi autem hasce Agricolae reliquias jam nunc denique edituro non multa opus est dicere.

Exemplar nostrum Lutheranae bibliorum versionis non totam sanctam scripturam complectitur. Continet tantum Prophetas, libros apocryphos, qui vocantur, Novum Testamentum, quae omnia Wittebergae typis excudebat a. 1534 Johannes Luftius. In ea parte libri, qua prophetarum vaticinia continentur, omnibus fere paginis vestigia calami Agricolani videntur, in apocryphis libris raro, in Novo Testamento saepius. Maxima haud dubie adnotationum pars parvi aestimanda ideoque hic omissa est, ea autem, quae aut historici sunt argumenti, aut quibus ingenium moresque auctoris quodammodo illustrantur, descripsi atque prelo subjicienda curavi, eo ordine, quo in versione Lutheri scripta sunt, diligentissime servato. Quantum fieri potuit, etiam locos, ad quos confessiones sive apophthegmata Agricolae respiciunt, indicavi, ipse enim versus, quibus notas suas adjecit, lineis subter eosdem ductis significare solebat. Ubi autem adnotationes cum textu biblico minus connexae esse videbantur, indicavi tantum, quo in folio Lutheranae versionis Agricola apophtegmata sua scripserit.

Nota sunt verba Lutheri: Si velis scire, quidnam ipsa vanitas sit, nulla certiore imagine cognosces, quam Islebii. Sed de contentionibus, quae Jo. Agricolae cum reformatoribus intercessere, non meum, utpote in theologia hospitis, est judicare [2]). Etiam ab historicis adnotationibus prudens et

---

[1]) Vide: Forhandlinger i Videnskabsselskabet i Christiania 1879. p. 4.

[2]) Qua de re habemus etiam librum nostra lingua scriptum eundemque, qui extra Arctoi orbis fines observetur, dignum, auctore Jo. Clausen, Arusiensis in Dania dioceseos episcopo summe venerando: Lov og Evangelium i Forhold til Christendoms-Forkyndelsen, forhandlet mellem Reformatorerne i Wittenberg og Agricola fra Eisleben. (Haun. 1872).

voluntate abstinui. Facile sane licuisset, locis e variorum auctorum scriptis hinc inde collectis, purpureos quasi pannos editioni meae adsuere, quo tamen vix aliud effecissem, quam ut in vanitatis incidissem suspicionem. Ii enim, quorum studiis inservire optavi, meis nimirum commentariis minime indigebunt.

Una tamen de re pauca afferre non supervacaneum duxi.

III.

Saepius memorat Agricola nonnullos, multos immo, suos adversarios post Schmalcaici belli clades et tumultus in Daniam confugisse, theologos praesertim, quos, notissimum illud Horatii carmen (IV, 6, 14) significans, appellat: male feriatos. Dubitare tamen licebit, num fide digna haec sit narratio.

Fuerat certe Christianus III, Daniae et Norvegiae rex, cum confoederatis Germaniae principibus, Saxonico potissimum electore Hessiaeque landgravio multos per annos conjunctus, sed, pace inter Daniam et Carolum imperatorem Spirae a. 1544 facta, foedus illud paullatim coeperat elanguescere. Nam licet optimi regis animus erga socios fortasse nondum refriguerit, haud dubie nobilibus Daniae, quorum tum denuo magna facta erat praepollensque potestas, nihil minus visum est exoptabile, quam ut patria, nuper funestissimi belli procellis concussa, in nova et periculosa certamina incideret.

Imminente gravissimo a. 1546 Lutheranis periculo, iterum ac saepius a rege Daniae petiere, ut aut opem ferret aut Batavos, imperatori tum subjectos, bello infestaret et, clauso freto, a mari Baltico prohiberet, id quod paullo ante (a. 1542) haud frustra fecerat Christianus. Addebant precibus etiam admonitiones, ut sibi ipsi rex caveret; Lutheranis Germaniae oppressis, Danos etiam imperatorem, quod a fide catholica defecissent, puniturum [1]. Tergiversans autem rex diverticulis utebatur. Adseverabat suam in vera fide constantiam, increpabat Antichristum Romanum, hortabatur, ne animum desponderent principes, sperabat bellum pacificis actionibus posse componi, neque tandem queri supersedebat, quod secum Fridericum Palatinum Christophorumque Oldenburgensem, veteres regis inimicos, principes quodammodo conjunxissent [2]. Constat etiam hoc anno regem diutino morbo ita correptum fuisse, ut vita in discrimen posita, mortuus esse jam diceretur. Principes denique de efficaciori auxilio desperantes pecuniamque tantum a Dano petentes, mense Sextili viginti millia thalerorum mutua accepere ita tamen, ut hocce subsidium non ad bellum contra imperatorem gerendum, sed ad pericula, quae a Romano pontifice imminerent, avertenda datum esse diceretur [3]. Militabat hoc tempore cum Joanne Friderico Danus quidam nobilis Georgius Urne, quem magni aestimasse dicitur elector. Qui quum in Daniam redux haud ita paucos equites adversus Carolum imperatorem pugnaturos collegisset, in Fionia jussu regio cum commilitonibus captus et in custodiam datus est [4]. Superest adhuc epistola, hactenus, id

---

[1]) »Dass der Gegentheil auch E. K. W., dieweil Sie von wegen der Religion gegen Bischofen und andere Geistlichen mehr, denn wir gehandelt, nicht werde verschonen«. (Sax. et Hess. ad regem Dan. ex castris apud Thonewerder, die 6 Aug. 1546; in arch. Haun.).

[2]) Vide litteras regis, in regestis epistolarum ad exteros principes datarum (»Ausländisch Registr.«) archivi Hauniensis descriptas. Observandae sunt etiam epistolae, quas rex ad Pomeranum Melanthonem aliosque reformatores hoc anno dedit, in collectionem locupletissimam receptae, quam Casparo Friderico Wegener V. Cl., archivario Daniae optime merito, debemus, »Aarsberetninger fra det Kongelige Geheimearchiv«, vol. I.

[3]) Jo. Grammii ad Kragii historiam Christiani III praef. p. 59.

[4]) Arild Huitfeld, Danmarks Riges Krønike p. 1514, Christian III.s Historie ved Krag og Stephanius (versio Dan.) p. 302.

quod sciam, neque typis divulgata, neque ab harum rerum historicis observata, quam in vigilia ascensionis domini (a. d. XV. Kal. Jun.) a. 1547 ex arce Hagenskoviensi, in Fionia sita, ad Ericum Banner, Daniae marescalcum, dedit Janus Rotfelt, nepos ipsius, qua narratur Georgium Urnium illum in eadem arce publice affirmare ausum, multos senatores regni Daniae, nominatim autem Esgonem Bildium, regalis curiae magistrum, annuis ab imperatore pensionibus esse corruptos [1]). Quam famam neque confirmare neque redarguere conabor.

Haec dum geruntur, imperator, Danorum navalem potentiam minime contemnens, id egisse videtur, ut pacem cum Christiano servaret. Noluit sane ex consiliis regis atque ejus opera utens cum rebellibus Germaniae agere, sed tamen, ut Christiano placeret, Hamburgensibus quodammodo pepercit [2]). Mauritius porro, qui fractis apud Mühlbergam Joannis Friderici rebus, elector, Carolo favente, evaserat, statim, ut sibi amicitiam Daniae regis compararet, summa ope nisus est. Misit igitur in Daniam matrem, Barbaram Polonicam, quae Annam, filiam Christiani, Augusto, in electoratu successori, in matrimonium peteret [3]). Ipse etiam Augustus in Daniam venit, et jam die septimo mensis Martii a. 1548 Coldingae Annam sibi despondit [4]). Quibus nuptiis, eodem anno Torgaviae celebratis, factum est, ut inter domum Daniae regalem et Albertinam, novam Saxoniae electoralem familiam, amicitia illa intima intercesserit, multos deinde per annos duratura. Ernestini autem inde ab eodem tempore Dani facti sunt inimici. In chronico quodam aulae Danicae narratur etiam Joannem Fridericum electorem a »Caesarianis» coactum promisisse, »se, si vellet vivere, Danico regi perniciem non moliturum« [5]). Neque vero filius electoris ejusdem nominis, patre infelici ipse infelicior, harum rerum oblitus est, sed dum pravis consiliis Grumbachii obtemperabat, foedus cum Daniae hostibus fecit [6]).

Multorum sane in Germania fuerat expectatio, fore ut Lutheranis rex Daniae fortiter opitularetur. Quae quum spes ad irritum cecidisset, non defuere, qui Christianum irriderent. Servantur in archivo Hauniensi epistolae hucusque ineditae, quas ad regem hoc tempore scripsit Petrus Suavenius, vir natione Pomeranus, sed civitati Danicae adscriptus et legati sive oratoris munere saepissime fungens, unde satis manifeste apparet iniqua illa de rege sententia [7]). Credebant vulgo regem aut a Lutherana fide descivisse

---

[1]) Epistolam hanc multos annos abhinc inter apographa Klevenfeldiana in Archivo Danico deprehendi.

[2]) Lanz, Correspondenz des Kaisers Karl V. II, p. 565 sqq.

[3]) Reimarus Kock, historicus Lubecensis notissimus, in Chronico suo nondum typis divulgato narrat, Barbaram in Daniam profectam esse: »und hat de frie twisken des Ko. Dochter und eren Sohn Augusto ausgerichtet und sovele to wege gebracht, dat de Ko. sine Ridder und Legaten thom Rikesdage gesandeth und, up dat sin Land vor dem Keyser mochte velich sin, gaf he sick ock uth dem Ewangelischen Bunde. Davor kregen de beiden dannsken Ridder ein ider eine guldene Kede von 1000 golden Gulden werde. Und dat was datt spiel ock wol werth, wennthe dem Keiser gruwede vor nemant so sere alse vor dem Ko. van Denemarken, welck mit Schepen konnde sin Vaterlandt anfallen«.

[4]) Archiv f. Sächsische Gesch. IX. p. 398.

[5]) Chronicon Cornelii Hamsfort, (Monum. Hist. Dan. ed. Rördam I, p. 701).

[6]) Vide commentationem meam: Om Frederik den andens paatænkte Lothringske Giftermaal og om Danmarks Forhold til de Grumbachske Uroligheder (Norsk historisk Tidsskrift II. p. 46—110).

[7]) Postridie nonas Sept. a. 1547 Petrus Suavenius, in urbe Sleswicensi commorans, ita scribit: »Hier im Lande finde ich ein gemein Geschrei von I. K. Maj. vor my, dat I. K. M. de dudische Prediget in Denemarcken abgeschaffet und dat Gebet wedder den Pawesth und Turcken verbaden habben schalen, welckes alles darhan gedudet und verstanden werde, dat I. K. M. yn Saken der Religion beginnen tho wyken unde natogeuen. De will my solckes nicht yn einem orde, sonder hin und her wedder ym Lande vorgekomen, ick ock mit unte darumme gefraget, yfth demesuluen also were odder nicht, dar tho ick dock up den einen yfthe andern wech nicht antworden konen, de will ick so lange ym Lande nicht gewesen. dath ick eynes edde anderes dendes tho grunde hedde erkunden magen so hebbe ick dennoch solckes alles I. K. W. unermeldet nicht laten willen, de wile I. K. W. an erer Reputation

aut tamen Catholicis morem aliquatenus gessisse. Etiam in Svecia tales increbuere rumores, nam a. 1548 Gustavus rex curiose percontatus est, num, quemadmodum ferebatur, episcopatus, ante XII annos abolitus, in Dania jam restitueretur [1]). Fortasse etiam inter regni proceres aetate jam provectiores adhuc fuere, qui, ut vetus in ecclesia rerum ordo restauraretur, cuperent [2]). Satis enim constat senatum regni anno 1536 non nisi vi coactum consensisse, ut extingveretur episcoporum, qui et ipsi tum omnes nobiles erant, potestas, et scimus quoque a. 1538 nobilitati ardentissimis in votis fuisse, ut cathedras episcopi recuperarent. Regis fortasse constantia fidissimoque religionis amore factum est, ut Lutheranae ecclesiae inimici in Dania nihil valerent. Sed harum rerum historia parum cognita est et, quum veri quasi deficiant fontes, obscurior semper manebit [3]).

Non igitur probabile videtur Saxoniae theologos aliosque, qui cum Ernestina familia sentirent, hoc tempore Daniam potissimum, quo confugerent, elegisse. Desunt etiam omnino in Danorum historia ejusmodi immigrationis vestigia.

De Agricola quum jam scripserint haud ita pauci, desideratur adhuc peculiaris dissertatio perfectam imaginem exhibens viri, si minime omnino laudandi, ita saltem multis locis memorabilis. Uberiorem historiam Agricolae contexere volentis e re forsitan fuerint illae ipsius, quae jam in lucem prodeunt, confessiones.

Jam denique hoc a docto lectore peto, ut aequi bonique consulens editionem meam qualemcunque accipiat.

Scr. Christianiae a. d. VIII. Kal. Quinct. MDCCCLXXXVI.

---

nicht wenig gelegen». Postea XV Kal. Nov. eod. anno, dum Norimbergae versatur, inter alia ad regem scribit idem Suavenius: »Ich schicke I. Kö. Mt. ock hyr beneuensth einen Pasquillin, darinne I. K. M. auch gedacht, doch nicht mit deme besten, wiewol nhu ahnn solches Schrift alse an einem famoso libello nichts gelegenn».

[1]) Vide regesta archivi Regii Svecici.

